



203

miles vel pejores mimis (114 a) et histrionibus, qui in ludis scenicis saltantes et effigantes motibus corporis ea, quae in domuncula (quae scena dicebatur, et erat in medio theatri) canebantur turpia tam de diis quam hominibus, ut habet Augustinus de civitate Dei L. 1. C. 32. Cum multis ergo insolentiis diem hunc sanctissimum omnium Sanctorum Sarraceni peragebant, nos autem cum multa tristitia propter recentem mortem domini comitis, socii et confratris nostri, et cum decenti maturitate propter diei sanctitatem et cum sollicitudine propter instantem recessum nostrum transivimus diem illum.

Recessus peregrinorum.

Secunda die, quae est dies Animarum, et erat dominica XXIII post Trinitatis, mane dictis officiis missas legimus in capella domus, quibus intererant quidam officiales galeae nostrae et multi galeotae de classe, a quibus non pauci denarii oblati fuerant in animarum suffragium. Finitis autem missis hortabantur nos galeae officiales, ut praesentarem nos in galeas, quia, qua hora non putarem, classis esset recessura. Statim ergo prandium et mensam parari jussimus, ut refecti recederemus; facto prandio ad computandum sedimus cum hospite nostro, domino consule, et remansit quilibet peregrinus ejus debitor in sex ducatis. Milites ergo aperientes bursas solverunt debitum, ego autem vacuum bursam habens solvere cum non possem, rogavi dominam hospitam secrete, ut intercederet pro me pro remissione partis alicujus, et reliquam partem mutuo a dominis peregrinis accipere vellem; fuerat enim domina illa valde benigna ad me diebus, quibus in domo deguimus. Cum ergo hospes exspectaret solutionem meam, et inciperem eum pro amore Dei rogare, et hospita diceret, me pauperem, et alii peregrini pro me loquerentur, exacerbatus fuit homo, et cum magna indignatione repulit me a se, dicens: Roch, Roch, hoc est: recede, recede. Et cum sic recedere verecundarer, annuit mihi domina nutibus, ut recederem, quod et feci, et nihil solvi penitus. Sicque utilior fuit mihi indignatio totum remittentis, quam pietas partem donantis. Oratione tamen pro homine non minus vel forte plus obligor, quam si voluntarie donasset, cum etiam Dominus

214

212

218

208

223

203

263

163

313

113

Ende

Anfang